

modo capi posse, nisi perpetuo vallo fossaque circa illam ducta, omnis accipiendi commeatus facultas hostibus prius fuisset adempta: magnaue ad id fabrorum agrestiumque operariorum multitudine opus esse dicere, ut res tanta brevi confici posset. Quibus diligenti cura undique accersitis, ad tria millia passuum vallum est arci circumjectum, cujus hanc quidem fuisse formam accepimus. Duplex fossa pari utrinque spatio ducta, medium aggerem pedibus triginta latum habuit: ac quanto utraque fossa altius adacta est, eo extremæ partes aggeris, glebis in speciem muri congestis, sublimius prominebant. Vallum ad hæc utrinque impositum cum turribus ligneis, tam brevi inter se spatio distantibus, ut quaternas singula haberent stadia. Habuit præterea munitio illa portas duodecim cum firmissimis turribus, copias, quum opus esset, utroque versum in hostes emissuras. Ferunt, fama cæpti operis ad Philippum perlatâ, ex aulicis unum exclamasse, nihil magis ab immortali Deo ipsi Duci precandum fuisse, quam ut Venetos ejus operis aggrediendi libido quandoque incesset, quod non tantum Venetas opes, sed quæ Xerxis olim fuisse dicerentur, citius absumeret, quam ad exitum perducî posset. Nec Pergulanus interim quieuit: sed ut ab instituto opere hostem averteret, in Mantuanos fines populabundus erupit: ubi tametsi omnia terrore & incendio compleverit, haud tamen consequi potuit, ut ex tanto labore aliquid interim remitteretur. Ubi igitur ea clade hostem nihil movere potuit, castra aliquanto vallo propius admota majorem in modum communivit. Sed neque Nicolai Picinini, rei militaris disciplina insignis, neque Sforciæ aliorumque illustrium virorum, qui tum Philippo militabant, consilio aut hortatione adduci potuit, ut in munitiones nondum perfectas impetum faceret: satis superque se habere dictitans, si Philippo, cujus mereret stipendium, quem etiam ita velle non ignoraret, ita sedendo satisfaceret. Opere interim ad calcem perducto, Venetus Imperator quicquid inter hostium munitiones & aggerem soli erat, castris occupat: in quibus cum appendicibus sociorum, qua-

*Veneri ingenti vallo arcem Brixensem cingunt.*